



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Praxis meditationis in lectionem diei Mercurij. Cap. 11.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

ctaris? Quantis ludibrijs & probris,
tu qui es summa Patris sapientia,
vexaris? O IESV illuse, O IESV ho-
stibus prodite, quid est hoc quod
agis vnica spes animæ meæ?

Praxis Læctionis diei Mercurij.

ECQVAE læctionem huius diei,
quæ flagellationem Christi conti-
net, mens humana vel Angelica me-
ditari sufficit? Subsiste hîc aliquan-
tis per anima mea, ac mentem à sen-
sibilibus rebus ad teipsam auoca: &
côsidera quomodo Pilatus IESVM
iusserit apprehendi & duci in præ-
torium.

*Meditatio
diei Mercurij.*

Quomodo mandauerit, vt à car-
nificibus, immanitate ac truculen-
tia teter rimis, qui omnem penè hu-
manitatem exuerant, acerrimè fla-
gris cæderetur, vt ita rabiem tetra-
rum ac immanium illarum bellua-
rum, Iudaici videlicet populi, sa-
tiaret.

Quomodo carnifices mandatis
a Pilato acceptis, IESVM mansue-
tum agnum, cum immani furia tan-

L 7 *quæ*

quam lupi rabidi, vestibibus spoliantur, eumque ad aulam traxerint.

Quomodo IESVS speciosus forma præ filijs hominū nudus & pudore suffusus coram barbara & impura gente, ad Iudæorum furcū rabiem sedandam, steterit.

Quomodo IESVS nudato, carnifices primū brachia tenera arripuerint, illisque columnæ circumpositis crassis funibus validissimisque nexibus manus simul colligauerint ac strinxerint.

Quomodo benedictos eius pedes vinxerint, eosque cum insigni feritate columnæ lapideæ circumtorserint & constrinxerint.

Quomodo IESVS non tantū nō murmuret, nec excandescat aduersum tortores suos, sed de illorum etiam perditione medullitus commoueatur: quos aliquādo etiam diuinis oculis respiciebat, vt corda eorum emolliret & conuerteret, ac omninō perirent.

Quomodo Iesu iam victo, carnifices

nifices flagella expediuerint, & quidam ex eis cæteris robustiores, funibus, alij loris, alij asperioribus flagellis, tenerum & innocens IESV Christi corpus cadere ac verberare cœperunt: vnus delicatissima illius brachia, alter sacratū pectus, tertius speciosum collu ictibus conciderit & lacerauerit, non aliter ac si abiectissimum aliquod animal, aut aridam humum certatim ferirent.

Heu heu, nulla tanta est facundia, nulla tanta orationis vis, quæ huius supplicij magnitudinem explicare queat.

CONSIDERA igitur anima mea, pio cum affectu: IESVM dulcem sponsum tuum verberibus omnino liuidum, sanguine cruentatum, ac toto corpore lacerum, adeo vt sanctissimæ & delicatissimæ carnes illius nō paucis in locis euulsæ per terram sparsæ iaceant.

ASPICE vt omnia quaquauersum sanguine conspersa sint. Intue-
re terram sanguineis riuis fluen-
tē:

tem: Cerne columnam cruore madidam: Aspice vestimenta carnicum pretioso IESV sanguine tincta: Vide flagella sanguine penitus imbuta, cui multis in locis parua adhuc carnis particulae ex corpore mansueti Agni adherescebant, quarum non pauca in terram sparsa fuerunt.

CONTEMPLARE anima meum IESUM, non est ei species neque decor: vulneribus ac lioribus plenus est: venae apertae sanguine diffluunt: carnes eius varijs in locis euulsae iacent: spina dorsi penitus lacerata ac labefactata est. Heu quam turpiter est deformatus, ita ut nullam amplius formam speciosi IESV, sed foedissimi leprosi referat.

CONSIDERA posthac anima mea, quid interea sancta IESV Mater MARIA, quae foris ante palatium Pilati cum ceteris turbis consistebat, egerit. Quis ei sensus, quae mens fuerit, dum immani ictuum sonitum, ministrorum tumultum,

& po-

& populi clamores auribus hauriret. O afflictæ & mœsta mater, quanta tunc obsecro cordis tui fuit angustia?

CONSIDERA deinde, quid è contrario pium cor IESU senserit, cum corpus illius diris flagellorum ictibus laceraretur: animus verò lamentis, & præsertim querimonijs afflictissimæ matris suæ torqueretur.

CONTEMPLARE anima mea, ut pius & mansuetus IESVS in tantis angustijs constitutus non habeat ubi caput suum, quod præ nimia corporis debilitate aliquo cervicali egebat, reclinaret: sola aderat columna lapidea, cui cum capite incumberet, sed neque hoc patiebantur illi ab omni humanitate & clementia alieni tortores, qui nullam ei à tormentis requiem concedebant, sed manibus & verbis ignominiosis ac petulantia tam diu in eum defæuerunt, donec penitus lasi in terram se abiecerunt.

ASPICE anima mea, ut crudeles

les illi carnifices paululum à flagellationis labore refecti, de terra surgant: ac immani cum rabie IESVM à columna soluant, ac ita nudum huc illucque per aulam trahant atque impellant, vt vestimenta sua dispersa conquireret.

INTVERE anima mea IESVM tuum qui nudus pedore plenus, ac indignissimè vexatus vestimenta sua requirit. Quem ministri arripit, tum cædunt, ad terram allidunt, ac per humum trahunt, tandemque vestimentis suis induunt.

INGREDERE anima mea, mare huius sanguinolenti mysterij, immerge te quàm profundissimè in aquas considerationum præclaræ huius lectionis: Perde te ipsam in hac meditationum abyfso, quandoquidem immensa & imperuestigabilis est.

Ego verò te in hac abyfso relicta, ad aliam lectionem æquè lamentabilem, quæ Christi spineam coronationem continet, transeo.

Praxis